Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput secundum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

mus Apportata; editô Commentariô de Scriptoribus Ecclesiasticis tribus Tomis comprehensô. Verùm ambo hi, quia Acatholici, cautè sunt legendi. 159.

Caput Secundum.

De Historia humana tùm Ecclesiastica, tùm profana Scriptoribus, eorumque in rebus Ecclesia autoritate. 104.

Historiam humanam vocamus rerum quovis sæculô et ætate gestarum narrationem et annotationem. Ecclesiastica vocatur, si res præcipuè Ecclesiam spectantes; Profana autem, si sæcularia præcipuè tractet, et contineat.

De eâ hic tria inquirimus, 1º Utrum illius cognitio Theologo sit utilis. 2º An aliqua sint regulæ, quibus vera historia à falsis dignoscantur. 3º Quænam sit historiæ humanæ autoritas.

Conclusio prima. 105.

Historia sive profanæ, sive Ecclesiastica cognitio Theologo perutilis, ne dicam necessaria est.

Prob. 1ª pars. Cognitio historiæ profanæ plurimùm, imò omninò confert ad Scripturarum Sacrarum intelligentiam, utpotè in quibus præsertim in Prophetis occurrunt loca plurima, quæ sine historiæ ad veteres Monarchias spectantis cognitione expediri nequeunt; unde, Quidquid, ait S. Aug.* de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur historia, plurimùm nos adjuvat ad Sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Confert etiam proprimis ad Ecclesiasticorum monumentorum intelligentiam, ut patet; itemque contrâ adversarios fidei Christianæ, utpotè quos ex ipsis Græco-

* lib. 2. de Doct. Christianâ c. 28.

160. rum, et Romanorum historiis Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Eusebius, et alii feliciter impugnarunt. Ergò Historia profana cognitio est Theologo perutilis, p.

Prob. altera pars Conclusionis. Theologus ex historiâ Ecclesiasticâ discit 1º. Quid antiquum sit, quidve novum; quæ dogmata sive fidei, sive morum, quæ disciplinæ capita in Conciliis determinata fuerint. Discit 2º. Quid in arduis Religionis negotiis agendum sit: pauca enim nunc occurrerint, quæ aliàs jam non occurrerint: Nihil sub Sole novum, ait Scriptura*, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in Sæculis, quæ fuerunt ante nos. Discit 3º. Quâ occasione nonnulla in Conciliis Statuta fuerint, quam ob causam aliqua à Patribus Scripta sint; ac proindè quinam sit germanus tùm Conciliorum tùm Patrum Sensus. Discit 4tò. præclara Sanctorum gesta, ad quorum normam mores suos componat. Ergò p.

2 * Eccli. 1.

6/90

106. Conclusio Secunda.

Nonnullæ sunt regulæ, quibus vera historia à fictis dignoscuntur.

Prob. enumeratione illarum.

1º. Vera est et non ficta historia, quæ enarrat factum aliquod contigisse coram ingenti multitudine, quæ licet illius interesset falsum manifestare, si quod fuisset, ipsum admisit, tradiditque posteris tanquam certum. Hinc colligitur, maximam esse certitudinem historiarum, quibus Veteris Legis miracula recenscentur: Scilicet patrata dicuntur coràm Sexcentis millibus testium, qui ea non modò pro veris ha-

buerunt, sed et posteris libros tradiderunt, 161
quibus continebantur, quamvis hi libri
facta narrarent, quæ sibi ac toti Ju-
daïcæ genti parum essent honorifica.
Idem dici debet de miraculis, quæ refe-
runtur in Novâ Lege: eorum enim tes-
tes oculati pro tuendâ illorum veritate
mortem obierunt.

2dò Et contrà, cùm factum ali- 107.
quod non fuit evulgatum eo tempore,
quo contigisse scribitur, sed tantùm mul-
tis post annis, fidem non meretur.
Hinc que patet, vel eo solo titulô rejici de-
buisse historiam de Joannâ Papistâ,
quam ducentis et amplius annis, post-
quam contigisse fertur, tandem Mar-
tinus Scotus, aliàs Polonus dictus, evul-
gavit.

3tiò Factum, quod non refer- 108
tur ab insigni et fideli alioquin His-
toricô, cujus plurimùm intererat ipsum
referre, quodque eum, si re verâ con-
tigisset, non potuisset eum latere; fic-
titium censeri debet, quamvis à plu-
ribus historicis tempore posterioribus
referatur.

4tò Veritas factorum, quæ se- 109.
cretò, hoc est, coràm uno teste, conti-
gisse dicuntur, pendet ab illius homi-
nis fide, coràm quo ejusmodi facta con-
tigisse narrantur. Undè de iis factis
non habetur certitudo, nisi in quan-
tùm certum est, eum hominem decep-
tum non fuisse, nec voluisse decipere
cæteros. Hinc que patet, quàm inane
sit ac flexum totius Religionis Ma-
humetanæ fundamentum.

162.
110.

Conclusio Tertia.

Præter autores Sacros nullus Historicus potest facere eam certitudinem, quæ fidem generet.

7/91

Prob. Quilibet privatus homo præter eos, quos ex evidentibus motivis credibilitatis constat Scripsisse ex motu Spiritûs Sancti, absolutè loquendo, falli potest, ac fallere: ac proinde nullus potest facere certitudinem, quæ generet fidem, et cui, absolutè loquendo non possit subesse falsum. Ergò, p.

Conclusio Quarta.

111. Historici graves ac fide digni, quales sive in Ecclesiasticis, sive in Sæcularibus nonnunquam reperire est, Theologo argumentum probabile suppeditant.

Prob. Probabile est, Historicos, de quibus agitur, nec falli, nec fallere velle: prudenter nimirum se gerit, qui credit homini fide digno affirmanti, se aut rem vidisse, aut accepisse ab hominibus sapientibus, qui illius oculati testes extiterint. Hinc patet, imprudentem ac temerarium fore, qui fidem detraheret miraculis, quæ d. Augustinus in inventione Corporis S. Stephani se vidisse testatur. Ergò.

Conclusio Quinta.

112. Omnes probati ac graves Historici, nullo contradicente, factum aliquod enarrantes Theologo certum argumentum suppeditant.

Prob. Id certum argumentum Theologo suppeditat, de quo nemo, qui sapiens sit, dubitare potest. Atqui de hujusmodi facto,

quod ab omnibus probatis ac gravibus Historicis, nullo contradicente, refertur, nemo qui Sapiens sit, dubitare potest. Nemo v.g. nisi desipiat, dubitare potest, Concilium Nicænum I. imperante Constantino Magno celebratum fuisse. Eo argumenti genere nituntur fideles, ut judicent, quædam Concilia esse Oecumenica, seu universam Ecclesiam repræsentare; ac proinde se prudenter fide divina credere, quæ in eis definita fuere. Ergo p.

Ad probè judicandum autem, an Historicus aliquis sit fide dignus, sequentia sunt exponenda, et examinanda. 1º An sit coætaneus rei, quam enarrat; si enim multo post tempore vixerit, tantam fidem non meretur. 2º An in rebus etiam non multum intricatis, nonnunquam deceptus sit. 3º An ipsius intersit, facta sic extitisse, quemadmodum ab eo referuntur. Ob eam rationem Eusebii Cæsariensis fides in rebus, quæ ad Arianos spectant, dubia est; Arianismi nimirum fuligine aspersus fuisse creditur. Sic etiam Socratis ac Sozomeni testimonia non sunt omnino certa in rebus, quæ pertinent ad Novatianos, nempe Novatianorum Schismatis rei fuisse perhibentur. Legi hæc de re potest Melchior Canus libro ii. de locis ~~theologicis~~ Theologicis præclara eloquentis.